


1880

1878





137/03.

20.

15

DISPUTATIO INAUGUR-
RALIS JURIDICA

1678, 4

QUA

Occasione l. 3. C. si min. se maj. dixer:

MINOREM
SE MAIOREM ADSE-
RENTEM ET JU-
RANTEM

SOLO DEO PRÆSIDE

Auctoritate & decreto

MAGNIFICI ICTORUM ORDIN:

In Celeberrima ACADEMIA GIESSENSI

PRO LICENTIA

Summos in utroque JURE HONORES & PRIVILE-

GIA DOCTORALIA legitimè

consequendi,


Publico Amplissimi SENATUS ACADEMICI examini

submittit

HENR: EBERHARD Goyer

Frisius Orientalis, 37.

Ad d. Maji horis locoq. consuetis.




G I E S S E,

EX TYPOGR. ACAD. ORDIN. B. KARGERI.

37.





SERENISSIMÆ FRISIÆ ORIENTALIS

Ḙc. Ḙc. Ḙc.

PRINCIPIS ET DOMINÆ

Domina mea Clementissima

Consiliariis intimis, urbique & agro Nordano
Præfecto

V I R I S

Magnificis atque Amplissimis

D. JOHANNI HENRICO
STAMLERO,

D. ANTHONIO PAULI

D. HAJ. LAURENTIO *Palms*
Jctis Excellentissimis

*Patronis Ḙ Promotoribus meis submisſe
venerandis.*



Uod sibi ipsi præstare nequit præsens libellus, à magnifico nomine vestro unicè sibi pollicetur patrocinium; Hæc enim præcipuas inter causas fuit, cur non nisi sub vestris auspiciis in publicum prodire voluerit, scilicet, ut iis munitus ab iniquorum censura malevolorumque insultibus tutior foret infelix alias foetus, nisi Vos speraret Tutores Patronosque. Altera nec minor est ratio, ut aliquod summæ erga Vos meæ observantiæ exile quamvis publicè extaret testimonium. Et fas erit utique, licebitque, quod cuivis licuit omni ævo, etiam mihi præsentis inscriptione testari, quo venerationis cultu semper sim profectus, prosequarque adhuc veneranda nomina vestra, ut ut hæctenus defuerit occasio publice idipsum significandi. Non memorabo nunc istius quoque venerationis causas, virtutesque vestras & eximia prorsus in Rempubl:merita recensebo prolixius. Hæc enim cum omnibus adeò nota sint, ut nemo sit, quem in admirationem ea non pertrahant, supervacuum fuerit, ullam iis enarrandis impendere operam; Et evi-

A 2

tabo

4

tabo ita simul, foedissimi sed solennis vitii, adulationis suspicionem, nec debitum publico bono, hoc praesertim difficillimo Europæ statu, tempus alio divertam. Quotidiana potius nuncupabo vota, ut Vos Patriæ Nostræ Decora Reipubl: Fulcra eidem diutissimè servet, humanisque rebus superesse patiatur Benignissimum Numen. Quam vero Inclyto Nomini Vestro inscribere sustinui inauguralem Dissertationem, atque adeò Coronidem studii mei Academici, ut propitiis oculis adspicere, hocque devotionis meæ æternæ memoriæ Vestræ sacratum quale quale monumentum serena fronte velit accipere, est de quo Vobis supplico

Magnifici Nominis Vestri

Scribebam in Academia
Giessena d. 10. Maji
Anno 1678.

Cultor devotissimus

Henr: Eberhard Hoyer.

PRO-



PROOEMIUM.

Siquidpiam in Jure nostro justitia commendatur, ac æquitate, est restitutionis in integrum materia, cujus utilitatem elogio non egere, ac Prætorem in illa introducenda naturalem æquitatem fuisse secutum, disertis Ulpianus testatur verbis, dum per eam hominibus lapsis & circumscriptis, sive metu sive calliditate, sive ætate, seu absentia incidere in captivum, à Magistratu subveniatur. Fateor; præclarissima res est, in integrum restitutio! Attamen & fatebuntur mecum procul dubio omnes, qui in foro quotidie versantur, veluti aliarum suã quidem naturã bonarum rerum, ita quoque restitutionis in integrum maximum in judiciis deprehendi abusum. Quid enim remediũ in desperatis plane ac manifestò iniquis negotiis Majores eque ac minores, facilius arripiunt quàm restitutionis in integrum? Quoties hæc occasione ad iniquam sententiam Judices, partes verò ad noxiam sibi transactionem commovent? Quasi hæc commune *ad inias* esset vel præsidium vel velamentum; Exempla taceo, norunt enim hoc illi, qui sumptuosè subindè litibus vexantur, interea tñ. istud exindè animadverti volo, quod hac imprimis in causa sub ratione Juris perniciosè sæpius erretur, & quemadmodum sua Prætorem, qui rem æquam suis proposuerunt Edictis, laus manet, ita non minus encomio digni sunt ii. LLatores, qui, ne æquum in iniquum degeneraret, providi, restitutiones variis limitibus, circumscripserunt ac determinaverunt.

runt. Varii de hoc in Codice Tituli & plures reperiuntur, Leges, latis modo ob dolum vel delictum, modo ob præstitum Sacramentum vel impetratam ætatis veniam, aliasve causas subveniri prohibentes, quas inter eminent nostra, quàm pro Disputatione Inaugurali elegimus l. 3. C. si min. se major: quæ in primis temeritati atque calliditati minorum fallam ætatem profitentium, eleganter occurrit. Hujus enodationem dum jam suscipimus, Sum Numen calidis imploramus suspiriis, ut cœptis annuere, & mentem, quo nihil nisi justum & æquum in sui gloriam & proximi commodum proferat, dirigere clementissimè dignetur.

C A P V T I.

Exhibens Legis Verba cum Declaratione in-
& subscriptionis, ac partitione.

§. I.

L Ex nobis proposita sub titulo Cod: si minor se major dixer. ordine tertia, legitur sequenti modo, &c. Iidem (sc. Diocletianus & Maxim: AA. & CC. Theodorz.

Si alterius circumveniendi causa, minor ætate majorem te probare aspectu laboraveris: cum malitia suppleat ætatem, restitutionis auxilium tam sacris Constitutionibus, quam rescriptorum auctoritate denegari statutum est. Quod si per injuriam vel circumventionem adversarii hoc fuerit factum: durabit beneficium, quo minoribus causa cognita subveniri solet. Aditus itaq; Præses Provincia, probationis ætatis examinata causa, si tuum dolum non repererit intercessisse, ac te minorem tunc fuisse probaveris, causa cognita in integrum restitui providebit. Si tamen in instrumento per sacramenti religionem, majorem te esse adseverasti: non ignorare debes, exclusum tibi esse in integrum restitutionis beneficium: nisi
palat

*palam & evidenter ex instrumentorum probatione, non per
testium depositiones, te fuisse minorem ostenderis. Hujus-
modi autem sacramento corporaliter prebito, nullum tibi su-
peresse auxilium, perspicui juris est. Dat. 13. Kal. Octobr.
Sirmii CC. Cons. 294.*

§. 2. Exhibet nobis Inscriptio tum Legis aucto-
res, seu rescribentes Imperatores, nimirum Deocletia-
num & Maximinianum, Augustos & Cæsares, Principes,
modo à gravissimis Christianorum persecutionibus ab-
stinuissent, omni laude majores; Quorum ille Patre Li-
bertino, Anulini Senatoris, matre verò similiter ignobili
natus ob singulares animi dotes & rei militaris peritiam,
cælo Carino Augustus appellatus, cum tot bellis rebusq;
gerendis se solum fore imparum prudentissime adverte-
ret, consortem imperii sibi legit Maximinianum ex Pan-
noniæ Syrmio Patre mercenario natum, cum quo mirâ
concordiâ fere per 18. annos imperium administravit,
tantemq; rebus undique compositis una cum socio eo-
dem die Principatum deposuit Anno Christi 304. De
quorum vita ac rebus gestis plura habentur, apud Idaciũ,
Orosium, Zosimum aliosque. Tum supplicentem
Theodoram, fortè privatam personam, quæ majorem
se professa, atque in contractu læsa, rescriptum hoc im-
petravit.

§. 3. Subscriptio continet tempus ac locum con-
stitutionis emissæ, in verbis Dat. 13. Kal. Octobr. Sirmii
CC. Consulibus 294. (sc. Dat. d. 19. Septembr. in Civi-
tate Syrmiana Cæsaribus Consulibus, anno Domini 294.)

§. 4. Consules fuisse Cæsares dicit textus. Cæ-
saris vocabulum tum Imperatoribus ipsis tribuitur, exem-
plo inscriptionis hujus legis, tum iis, qui ad successionem
Imperii sunt designati; Unde ab Augusto Cæsar inter-
dum separatur, ut in *L. 7. C. de Malef. & Math. L. 6. S. fin. ff.
de leg.*

de iure Fisci. Hic loci per Cæsares Consules intelliguntur, non ipsi Augusti Dioclet: & Maxim: Hercules appellatus, sed Constantius & Maximianus, dictus Armentarius. Qui teste Idacio & Petavio, ingruentibus undique bellis anno Christi 291. Cæsares seu Successores creati, hoc de quo loquimur anno 304. quo imperio isti abdicarunt, Imperatores sunt renunciati. Hæc quoad exteriora Legis sufficiant.

§. 5. Ipsa vero constitutio quatuor absolvitur partibus quarum prima disponit de dolo minoris à principio se. usque ad verba *statutum est*; Secunda, de injuria & circumventione adversarii, in lineis sequentibus: Tertia de errore minoris incipiendo in voce *aditus*. Quarta de Jurejurando, eoque tum in instrumento, tum corporaliter præstito incipiendo à verbis: *Si tamen* usque ad finem. De quibus sigillatim suis capitibus. Esto itaque

C A P. II.

De prima Legis parte, seu minore alterius decipiendi gratia se majorem profitente.

§. I.

PRimam, dico, contineri partem, in verbis initialibus: *Si alterius circumveniendi causa, minor etate majorem te probare aspectu laboraveris, cum malitia suppleat etatem, restitutionis auxilium tam sacris Constitutionibus quam rescriptorum auctoritate denegari statutum est.*

§. 2. Inquit textus: (*Si alterius circumveniendi causa*) Circumventionis vocabulum in jure nostro interdum in bonam partem accipi, pro solertia quadam, ut ita dicam negotiativa, eadē ratione qua dolus alius dicitur bonus alius malus, *arg. l. 22. §. fin. locat. & l. 10. §. 4. ff. de minorib.* ut plurimum verò in malam pro deceptione, ac fraudulenta

9
dulenta quadam, quæ ad alterius læsionem est compara-
ta, circumscriptione, communiter asseritur, *confer Struv.*
Syntag. Iur. Civ. Exercit. 23. §. 19. Nobis hic circumve-
niendi vocabulum in posteriori significato sumitur, pro
calliditate nimirum cum fraude conjuncta, innuente id-
ipsum tum voce sequenti: malitia, tum lege secunda
antecedente, quæ huic similem casum comprehendens,
minorem fallaci ætatis mendacio alterum decepisse as-
serit. Sequuntur verba:

§. 3. *Minor ætate majorem.*) Minores ætate hic di-
cuntur qui annum 25. perfectè ac omnimodo nondum
impleverunt, currit enim hoc tempus de momento in
momentum *l. 3. §. 3. ff. de min.* sive sit mas sive fœmina, de
qua textus noster loquitur; nullam enim in restitutione
minorum ratione sexus agnoscimus differentiam, tum
quia nullibi ea in jure prodita, tum quia *l. 1. h. t.* diserte et-
iam fœminis 25. annis minoribus restitutionem concedit,
sicut ex inscriptione colligere licet; quamvis quoad alia
Juris puncta, videlicet pubertatem, veniæ ætatis impetra-
tionem masculus à fœmina differat, & fœmina citius ma-
lculo illa consequatur, *juxta pr. Inst. quib. mod. tut. fin. l. 2. C.*
de his qui ven. ætatis impetrar. rationes videbis apud Cynum
in eand. leg. 2. n. 4. & 5. Pergit textus:

§. 4. *Majorem te aspectu laboraveris*) idem est si
majorem te tantum asseruerit. *l. 2. h. t.* Ætatis probatio
quæ difficilis esse dicitur, multifariam fieri solet, vel in-
strumentis, vel testibus, professionum tabulis, Ecclesia-
rum monumentis, vel etiam conjecturis, indiciis, & aspe-
ctu corporis, de quo verba legis nostræ, & *l. 32. ff. de min.*
25. ann. per aspectum corporis autem non intelligimus il-
lum, qui *in pr. Inst. quib. mod. tut. fin.* tanquam impudicus
ex orbe Rom. exulare jubetur, sed de inspectione faciei &

B

cæte.

cæterorum membrorum, juxta *Menoch. de Arb. Ind. quest. lib. 2. Cas. 117.* Porro

§. 5. *Cum malitia suppleat ætatem*) id est, malitia minoris justam ætatem repræsentat, annosque supplet; quæ interpretatio sæpius contra minores in delictis versantes locum invenit; alias etiam in quibusdam casibus probitas & morum cultura ad supplendam ætatem proficiunt, uti *Salycetus & Cyn. ad h. t. arg. l. 8. C. de his qui ven. æt. & l. 1. C. qui & adv. quos.*

§. 6. *Restitutinis auxilium tam sacris Constitutionibus quam rescriptorum auctoritate denegari statutum est*) meritò; est enim restitutio in integrum tale remedium quo ii, qui ex lubrico ætatis facilitate atque errore lapsi sunt ac læsi, in pristinum statum reponuntur, quoniam itaque hæc cum fraude, ac malitia non facile in una sede morantur, justa ratione sunt moti Imperatores, qui decipientes hoc beneficio ubique tam per Constitutiones suas, quam Sacra rescripta excluderunt.

§. 7. Ex harum linearum declaratione Casus figuratu est perfacilis: Theodora ætate minor, cum Titio volebat contrahere, quod hic propter metum minorennitatis reculabat; Illa se majorem simulat, & quo Titium ad contrahendum facilis induceret, occasione aspectus membrorum, & faciei qualitatibus majorennitatem callidè probat. Hoc facto Titius contrahit, at post perfectum contractu Theodora ad remedium restitutionis in integrum pervolat, quod ipsi propter dolum ac malitiam in probando commissam denegatur.

§. 8. Contra decisionem hujus membri rationes dubitandi moveri possent sequentes. (1) *L. 5. C. de iur. & fact. ignor.* qua substantiam veritatis falsa demonstratione mutari non posse astruitur. (2) *L. 7. C. de rest. in integ.* ubi Severæ, quæ post ætatem falsò probatam, nihilominus

minus restitutionem in integrum impetravit. (3) *L. 32. ff. de minor.* quæ idem fere cum præcedente lege opposita asserit.

§. 9. Verum his non obstantibus, firmiorem juxta ac æquiorẽ decidendi rationem. Lex nostra exhibet in verbis : Cum malitia suppleat ætatem, quasi diceret cum dolus Theodoræ numerum 25. annorum compleat, atque jura errantibus non decipientibus subveniant. *l. 2. l. 23. ff. ad Sc. Vellej.* ideo Theodora propter fraudem suam indigna judicanda erit, quæ in integrum restitueretur.

§. 10. Nec quicquam contra faciunt Leges oppositæ, & quidem (1) *l. 5. C. de I. & F. Ignor.* siquidem in illa non malitia vel calliditas falsa respondentis intervenit, sed error atque ignorantia facti, prout tum verba Tituli, tum contextus nobis idipsum indigitant. *Gothofr. in not. ad. d. l. Plus negotii facessit. l. 7. C. de rest. in integr.* qua revera minor fraude non carēs nihilominus fuit restitutus. Respondent nonnulli verba *falsò ætate probata* non de minore, sed de Tutore, quasi hic falsam ætatem Judici probarit, interpretanda esse, cujus sententiæ etiam est *Gothofred. ad. d. l.* Alii quorum responsio magis arridet, reponunt, hic sciente tutore, ætatem à minore falso probatam, cumque scienti & volenti neque dolus inferatur, neque injuria. *l. 34. C. de Transact.* ideo minorem fuisse restituendum *Cyn in h. t. n. 8. Salycetus l. 7. C. de rest. min. Gail. 2. obs. 65. n. 2.* Denique ad *l. 32. ff. de min.* respondet Salycetus ibi minores noluisse decipere Curatores suos, vel solventes; aut enim quærimus utrum minor, qui dolo probavit se majorem, velit restitui adversus eum, respectu cujus hoc probavit, & non auditur; aut vult restitui adversus alium, & nulla ratio firmiter obstat, quo minus possit, de quo casu lex opposita loquitur, dolus enim adver-

ius unum commissus non præjudicat alii, per l. 7. §. 7. quib.
ex caus. in poss.

§. II. Hæc quoad primam Legis nostræ partem
sufficiant, ex qua Dd. in praxi observant (1) Quod mali-
tia ætatem suppleat. 2. Ætas ex aspectu probari possit, quæ
tamen probatio iudici æque ac privatis imponere potest.
3. Dolo se asserens majorem, non restituatur; quod etiam
ad pupillum doli capacem, se pro adulto gerentem exten-
dit post Castrensem Gail. 2. obs. 65. n. 1. Hæc tn. regula
fallit, quando contrahens cum minore ex aspectu videre
potuit, eum esse minorem; vel quando restitutio petitur
contra tertium. Oddus de rest. q. 24. art. 6. n. 50. Brun-
ad l. 2. C. h. t.

C A P. III.

De secunda Legis parte; sc. dolo adversarii mi-
norem ad adserendam majorennitatem
inducentis.

§. I.

ITa dolo minoris occursum est: ne tamen contrahen-
tes cum iis, hac Lege abuterentur, atq; minores ad pro-
bandam vel asserendam ætatem fraudulenter commo-
verent, spe denegatum ipsis iri restitutionis remedium,
necesse quoque fuit, de calumnia adversariorum altera
Legis parte cavere, cuius hæc sunt verba:

§. 2. *Quod si per injuriam vel circumventionem
adversarii hoc fuerit factum, durabit beneficium, quo minori-
bus causa cognita subveniri solet.*) Ait textus.

*Quod si per injuriam vel circumventionem adversa-
rii hoc fuerit factum,*) sc. ut minor se majorem assereret vel
probareret; cum enim uti Bartolus ad l. de ætate 43. ff. de min.
inquit. in occulto nascamur, neque de ætate nostra, nisi
alium-

aliunde informati, certi esse queamus, facili negotio acci-
dere potest, ut minori Majorennitas persuadeatur, sub-
ornatis fortè testibus vel oblati professionum tabulis, sive
instrumentis, quibus parentes probant filiorum natales,
de quibus *in l. 1. C. h. t. & Mascard. concl. II46, n. 21.*
Sequitur:

§. 3. *Durabit beneficium quo minoribus causa cogni-
ta subveniri solet*) per beneficium intelligimus resti-
tutionem in integrum, quæ justa ratione læsis minori-
bus hoc in casu conceditur, ne calumnia & dolus quæ mi-
noribus, quos alias jura benignè tractant, superiori in casu
fraudi fuerunt, hic eorum adversariis lucro sint atque
emolumento.

§. 3. Subvenitur autem minoribus, contra nego-
tium gestum, non contra confessionem ætatis, contra
quam ipso jure securus est tum *per l. 7. C. de l. & F. Ignor.*
tum propterea, ne daretur restitutio ad restituendum atq;
in una causa bis restitutio peteretur, quod absurdum esse
tam Legibus quam auctoritatibus, demonstrat Cele-
berrimus quondam apud Nos ICtus Dn. Ketlerus *Dec.*
Ofstr. 85, n. 3. & seq. Ant. Fab. in Cod. Sabaud. l. 2. t. 35. def. 6.

§. 4. Casum, quia ex dictis patet, omittimus, de
rationibus dubitandi ac decidendi potius solliciti.

§. 6. Obstant autem textui nostro primum; quod
videatur excludendus minor ideò, quia se majorem dixit,
& damnum quod sentit, suâ culpâ sentit. Secundum, quod
non opus hic restitutione, cum ipso jure sit tutus, juxta
l. 16. pr. ff. de min. esse autem minorem tutum apparet tum
ex eo, quod dolo inductus fuerit ab adversario, nam con-
tractus dolo initi nulli sunt, *l. 7 pr. ff. de dol. mal.* tum quod
error facti ipso jure non noceat, *l. 7. de Jur. & F. Ign.* Hæc
inquam nobis objici possent.

§. 7. Sed rationem decidendi desumimus ex ver-

bis per injuriam & circumventionem adversarii: sc. dolo illius qui cum minore contraxit, Imperatorem ad hoc beneficium laeso minori concedendum permovit. Quo ipso etiam ad objecta respondemus, & quidem ad primum reponimus; regulam illam *minorem, qui se majorem dixit à restitutione esse excludendum*: tum saltem procedere, quando fraudulenter, non verò alterius calliditate inductus, id egit. Ad secundum vero quod altioris est indaginis, negamus, minorem ipso jure tutum esse, & dolum dedisse causam contractui, duæ enim probè distinguendæ sunt propositiones, scilicet dolo inductum esse ad probationem ætatis, & dolo inductum esse ad contrahendum: non hoc, sed illud in Lege nostra proponitur, eaq; propter contractus validè initus, per restitutionem in integrum est rescindendus conf. *Corn. adh. t. & Glossa ad l. I. C. h. t.*

§. 8. Hæc ita se habent, si minor errans à fraudulento adversario fuit circumventus. Sed cum accidere possit, ut & minor & adversarius sint in dolo, atque de minorennitate certi, ideò quærere libet, quid hoc in casu sit juris? Primo intuitu videri posset quod non restituatur, quia in pari causa turpitudinis, melior est causa possidentis; sed contraria sententia uti veritati magis contentanea, ita & l. Cris est magis approbata; quia ubi utriusque dolo intervenit, facta compensatione doli ad dolum, *l. 36. ff. de dol. mal. l. 39. ff. sol. mat.* perinde est, ac si nullus commisisset dolum, & tunc restitutioni est locus; nituntur præterea Dd. ratione *ex l. 4. §. 13. ff. de excert. dol. mal. petitâ*, ubi adversus exceptionem doli replicatio doli denegatur, de qua videantur *Cynus ad h. l. Oddus de restit. in integr. qu. 24 art. 7. Mauriti. de restit. in integr. c. 102.*

CAP.

De erronea ætatis probatione & quidem simplici,

§. I.

IN scindenda Constitutione nostra Doctores variant, Taliis duas tantum hujus Legis constituentibus partes, omniaque quæ insequuntur, ad casum de adversarij dolo modo enucleatum referentibus, aliis verò, quatuor vel plures; Nobis arridet opinio illorum, qui in quatuor membra eam dispertiuntur, dicendo: Primum membrum esse conceptum de dolo minoris, secundum de dolo adversarij, tertium de errore minoris, quartum de juramento, quod ultimum occupant verba *si tamen* usque ad finem. Ubi tamen velim animadvertas, in postremo hoc membro rursus triplicem propinari nobis juratam minoris assertionem, vel simplicem & juratam in instrumento, vel juratam solenniter tactis SSctis Evangelij, *Vid. Pacium Anal: C. distinguentem. h. t.*

§. 2. Hoc capite sermo nobis erit de tertio, simplici sc. assertionem per errorem facta, circa quam Imperatores in hæc verba rescribunt: *Aditus itaq; Præses Provinciae probationis ætatis examinata causa, si tuum dolum non repererit intercessisse, ac te minorem tunc fuisse probaveris, causa cognita in integrum restitui providebit.*

§. 3. *Aditus itaq; Præses Provinciae) probationis examinata causa.* His verbis remittit Theodoram, fortè provincialem, ad Præsidem suum, qui ante omnia inquire, qualiter elicita fuerit probatio ætatis, dolo ne vel errore, ac dein pro circumstantiarum differentia, ipsi juxta normam hujus rescripti jus reddere tenetur. Præsidis nomen generale est, eoque & Proconsules & Legati Cæsaris,

ris, & omnes Provincias regentes appellantur; ut plurimum vero de illo in specie capitur, quem Princeps in Provinciam misit, ut eam ordinario Jure moderetur. *l. ult. C. de mod. mulct. qui. Præsides provinciarum audiunt in l. 1. 2. C. de off. Rect. Provin. & hac l.*

§. 4. *Si tuum dolum non repererit intercessisse.)* Hæc & sequentia verba nos movent, cur statuamus, alium plane à superiori hic pertractari casum; tum quod non verisimile sit, Imperatores, qui hanc Legem quasi compendium totius esse tituli voluerunt, adeò *ἑπιλογίαι* studuisse, atque sat jam superius decita hic otiosè recoxisse, tum quod analogia Juris id ipsum non admittat, argumentando nimirum à contrario sensu (quod in Jure nostro non infrequēs) siquidem exinde sequeretur, ergo si tuum dolum reperit intercessisse una cum adversarii dolo, te non restituet; quod per tradita in cap. 3. est falsissimum.

§. 5. *Ac te minorem tunc fuisse probaveris) tunc:* Id est eo tempore, quo majorem te profitendo contraxisti; nota hîc: quod minores non illicò audiantur, si minorennitatem obtendant, sed præcisè ab ipsis probandum sit, non modo tempore assertionis, sed & contractus initi, justæ ætatis se non fuisse, quippe cum fieri possit ut minor quidem se majorem profiteatur, sed ex intervallo demum major effectus contrahat, quo calu restitutio erit deneganda.

Cæterum probare poterit ætatem suam vel instrumentis, vel testibus, aliisque modis à Mascardo & Menochio proditis, de quibus superius. Ubi nihil moramur opinionem Cornei ad h. t. aliorumque, qui putant ætatem non nisi per instrumenta, læsionem vero per testes probari posse, quippe quorum sententia & *l. 1. §. 1. de Excus. Tut:* & quotidianæ praxi adversatur.

§. 6. *Causa cognita in integrum restitui providebit.)*
Omnes.

Omnes enim in integrum restitutiones causa cognita à Prætoꝛe promittuntur, scil. ut justitiam earum causarum examinet, an veræ sint, quarum nomine singulis subvenit, verba sunt Modestini in l. 3. ff. de in integr. rest. §. 7. Ex his constat, minori in probatione ætatis erranti esse succurrendum; quod intelligendum quoque est de casu, quo tertii alicujus non contrahentis fraus intercessit.

§. 8. Sed oritur hic quæstio occasione verborum *si tuum dolum non repererit intercessisse* quid juris sit in dubio; num pro vel contra minorem pronunciandum? Glossa præsumendum esse ait contra minorem, ac dolum intervenisse dicendum, dum is qui antea se majorem professus est, nunc minorennitatem allegat. Sed communior est, cui etiam nos applaudimus, contraria sententia per l. 18. §. 1. ff. de probat. communem Juris regulam, quod unusquisque præsumatur bonus, donec contrarium probetur, & quod in minoribus ignorantia ætatis præsumatur, vid: de hac quæstione per: *Cornej. Cynus Castrensis & Salycetus ad h. t.*

§. 9. Colligunt ex hac Lege Dd.

1. In dubio, quando minor se majorem dixit, pro majore haberi, donec contrarium probet.

2. Non tamen in dubio præsumi minorem dolosè in afferenda vel probanda minorennitate fuisse versatum.

C A P. V.

De minore per religionem Sacramenti se majorem adseverante.

§. I.

HActenus indigitatum, quid Juris sit circa adsertionem majorennitatis, sine tamen jurejurando à minore commissam; Insequuntur nunc, quæ de interveniente juramento ad hanc legem enucleari merentur, in
qui-

quibus, cum superioribus longè sint difficiliora, paulò actiùs erit desudandum. De hoc autem puncto lex nobis propinat sequentia :

Si tamen in instrumento per Sacramenti religionem majorem te esse asseverasti; non ignorare debes, exclusum tibi esse in integrum restitutionis beneficium, nisi palam & evidenter ex instrumentorum probatione, non per testimonium depositiones te fuisse minorem ostenderis. Hujusmodi autem Sacramento corporaliter præstito, nullum tibi superesse auxilium perspicui juris est.

§. 2. Per Sacramenti religionem intelligimus Jurandum, sive religiosam alicujus rei adsertionem, invocato Deo in testem; Cujus uti variæ in Jurisprudencia species ac divisiones passim sunt obviæ, ita in hac disputatione de ea tantum, quæ à forma exteriori petita, divisione sermo nobis est, quæ juramentum aliud in instrumento dicitur consignatum sive simplex, aliud corporaliter præstitum.

§. 3. Illud est, quod nudis saltim verbis in documento quodam religiole quidpiam adseritur, hoc verò, quod præstat observatis juxta ritus ac mores receptos solennitatibus, quales sunt tactura Evangelii, erectio digitorum ad motio dextræ ad pectus, accensis interdum candelis & fenestris apertis, prout ferunt hujus vel illius loci ceremoniæ, de quibus videndi *Barschamp de claus. c. 30. Robert. 1. rer. jud. II. Zoes. ad tit. ff. de jurej. n. 16.* etiam cum prævia admonitione de pœna perjurii, ac præscriptâ certa formula. *Als mir GOTT helffe: alicubi additur, und sein heyliges Evangelium / quibus verbis Dei veracitas intelligitur, & omniscientia, in verbis ejus manifestata, Struv. Syntag. Jur. Civil. Exerc. th. 10. alias etiam vocatur solenne in l. 33 ff. de jurejur. german. ein zierlicher / leiblicher / Cörperlicher gelährter Eyd, Besold, Thesaur. Pract. 1, 4,*

1. A. n. 28. De priori specie disponunt verba: *Si tamen* adusque vocabulum: *Ostenderis*; atque innuunt, minorem qui simplici saltem ac non solenni juramento se asseruit majorem, non restitui, nisi palam atque evidenter idque non per testes, sed instrumenta ostenderit, se fuisse tempore adsertionis minorem.

§. 4. Exprimit autem textus notabiliter: *refuisse minorem ostenderis*: ne hanc Imperatorum dispositionem de probatione, per instrumenta præcisè faciendam, quispiam ad alia quoque præter necessitatem extendat. Cum enim in restitutionibus minorum, quæ causâ prius cognitâ sunt concedendæ, varia veniant demonstranda, in primis etiam circumscriptio seu læsio. l. 9. §. 4. ff. de jurejur. apparet Imperatores probationem læsionis ad hos non restrinxisse terminos, sed in generalitate sua sub regulis probandi communibus reliquisse.

§. 5. Quid vero causæ sit, cur probatio à minore hic suscipienda, debeat fieri per instrumenta, non verò per testes, dubitari forsitan posset, occasione nonnullorum Juris textuum, quibus testes in ratione probandi vel æquiparantur instrumentis, vel etiam planè iisdem præferuntur; Ita l. 15. C. de fide Instr. in exercendis litibus ait, eandem vim obrinere, tam fidem instrumentorum, quàm depositiones testium: l. 3. §. 1. ff. de Excusat. Tut. inquit ætatem probati aut ex nativitatis scriptura, aut aliis demonstrationibus legitimis, cum qua concordat l. 16. ff. de probat. l. 3. §. 5. ff. de Carb. Edict. imò Novell. 73. c. 3. ea, quæ viva dicuntur voce fide digniora judicat, quam ipsam scripturam: Ad occurrendum huic dubio nolumus cum aliis hic statuere, ætatem per instrumenta tantùm probari posse, quippe quod falsum esse, superiora innuunt; Sed dicemus, hoc in casu specialem subesse rationem, quæ in præstito jurejurando simplici consistit; cum enim talis

minor de regula non esset restituendus, ex singulari gratia tandem Imperatores, qui alias perjurii auctores non sunt futuri, eatenus ipsi spem restitutionis facere voluerunt, quatenus palam & evidenter, sive optimis probandi mediis, se tunc minorem fuisse demonstraret; Jam vero in demonstranda ætate applaudente Ictorum choro monumenta testibus sunt potiora, adeoque optima, quemadmodum enim infantes non in conspectu populi, sed occultis locis eduntur, memoria hominum, circa tot annorum seriem labilis, metus subornationis subest, ita testibus etiam in hoc aliisque antiquis probandis instrumenta meritò palmam præripere debuerunt; confer *l. 30. §. ff. de Carbon. edict. l. 11. ff. de probat. ut taceam alias contra scripturam propriam non admitti probationem in contrarium, nisi per scripturam, l. 13. C. de non num. pec. l. 25. §. ult. in fin. ff. de probat.*

§. 6. Per instrumenta intelligimus vel natiuitatis scripturas, sive parentum consignationes (*der Eltern Schreib-Bücher*) *l. 2. §. 1. de Excus. tut. vel libros parociales (die Tauff-Zettel) Besold. delib. iur. p. 1. q. 11.*) in quibus nomina & cognomina baptizatorum describuntur à plebanis, vel etiam libros censuales, *l. 3. ff. de Censibus l. 10. 13. ff. de probat. idque genus alios Coll. Arg. l. 4. tit. 4. §. 102. fin.*

§. 7. Decisionibus hujus partis non obstat Auth. Sacramenta puber. C. si adversus vendit: ad quam alibi respondendi dabitur occasio.

§. 8. De posteriori specie agunt lineæ ultimæ incipiendo à verbo: *Hujusmodi*, usque ad finem, quibus sancitur; minorem, qui corporaliter & tactis SS. Evangeliiis juravit, non esse audiendum, licet vel maximè instrumentis evidentissimis contrarium esset probaturus.

§. 9. Ex inde observare licet, quamvis ritus & so-
lenniâ

lenniâ juramentis adhiberi solita, inter adiaphora connumerentur, & proinde abesse queant & adesse, salva juramentorum substantia, *can. si aliqua 22. qu. 1. Panormit. in cap. ad aures n. 3. extr. quod met. caus. Menoch. lib. 1. Conf. 37. n. 49. Carpzov. jurispr. consist. lib. 3. tit. 2. def. 23. n. 6.* Plus tamen ponderis habere juramentum corporaliter præstitum, quam simplici voce prolatum, vel in scripturam reductum: quicquid etiam huic sententiæ confutandæ in medium proferat Mauritius Bolanus, nova planè, sicut ipsemet fatetur, opinione, quando differentiam non esse constituendam, inter casus quo simplex & quo solenne juramentum intercessit; Sed utroque casu censet minorem restituendum, modo palam & evidenter ex instrumentorum probatione se minorem fuisse demonstraverit. *Quid enim, inquit, attinet, aut quid tu discriminis constituere debeas, utrum hic corporaliter & tactis Evangelii juraverit, vel quod per Sacramenti religionem et aetatem suam sit testatus, cum certum extet, utroque casu ab eo juratum? Et ut inter juramentum ac simplicem loquelam non constituitur apud Deum differentia, ita etiam non videtur diversimode statuendum, si ve tactis sacrosanctis Evangelii, si ve non tactis juratum sit? Et paulo post: cum vis energia & efficacia sacramenti à corporali prestatione non pendeat, imo si verè juramenti effectum attenderit, oportebit solius jurantis animum intueri & introspicere, secundum quem metiendum erit negotium, Mauritium etiam sequitur Mynsing. 4. obs. 20. fin.*

§. 10. Hæc licet insignem habeant speciem, tanta tamen non sunt, ut à veriori juxta ac communiori nos dimovere possent sententia, præterea enim quod Legis nostræ contextus in faciem Mauritio contradicat, & luculentam constituat horum juramentorum differentiam, non est in jure novum, ut licet ad esse alicujus actus hoc illudve interdum non requiratur, nihilominus tamen eo

vel absente vel praesente diversi proveniant effectus; ita licet ritus ac ceremoniae supra scriptae juramentorum substantiam non ingrediantur, licet in foro poli aequaliter obligentur, solenniter & simpliciter jurantes, Lex tamen Civilis & consuetudo, quae propter hominum erga se invicem diffidentiam, atque ad mendacia proclivitatem, solennia quaedam introduxit, quoad forum exterius pro differentia sacramentorum differentes dedit effectus: Id quod etiam exemplo obligationis ex pacto nudo & stipulatione dependentis poterit fieri manifestius. Ut taceam dubium adhuc esse, annon etiam in foro poli arctior obligatio, graviusque delictum ex juramento vel perjurio solenni, quam alio simplici descendat, ubi jurantes praeviis comminationibus de poena per juri admoneri, atque ex ceremoniis gravitatem negotii agnoscere debent. De quo vid: *Zoesius in comm: ad ff. t. de jurej. n. 16.* ubi tamen nonnulla, pontificiam sapientia superstitionem, admiscet. *Covarruv. de pact. §. 1. n. 2.*

§. II. Unicum adhuc, antequam ad alia transitum faciamus, hic erit discutiendum, nempe, de quonam minore haec, quae de juramentis decisa sunt, loquantur? Sunt qui arbitrantur, intelligi ea de minore, qui dolo adversarii inductus est ad probandum se majorem; ita ut minor, dolo adversarii majorem cum juramento adseverans pro discrimine juramentorum audiatur vel non audiatur; eamque in rem depromunt analysin textus nostri sequentem, dicendo: in prioribus lineis legi de minore, alterius circumveniendi gratia se majorem adseverante. Deinde secundo loco proponi calum, quo per adversarii injuriam id actum fuerit, atque hic durare beneficium, per quod causa cognita minoribus subveniatur, ita ut aetatis causa excussa, si Praeses provinciae dolum minoris non intercessisse agnoverit, minorem restituendum

'dum declarare debeat'; Denique de hoc ipso casu subji-
ci ea , quæ de juramentis eorumque diversitate sunt
proposita.

§. 12. Verum enim vero contrariâ opinio, qua mi-
nor dolo inductus dicitur semper esse restituendus, non
attento, an & quomodo juraverit? ferè obtinuit; cui &
nos applaudimus, statuentes, hæc de juramento proposi-
ta intelligenda tantum de casu, quo neque minoris neque
adversarii dolus intercessit, & quem cap. 3. explicuimus.

Rationes hujus assertionis sunt in promptu; nam
quæ præter ea, quæ ad principium cap. 3. differuimus, mi-
nor à dolo adversario tam facilè ad jurandum, quam ad
asserendum se majorem induci potest; Similiter si prior
sententia stare, adversarius ex dolo suo occasione jura-
menti minoris commodum assequeretur; & hoc modo
non obstabit *l. pen. C. de Transact.* de cujus cum nostra Le-
ge conciliatione alias mirum in modum se torquent Dd.
siquidem in illa dolum intervenisse dicendum, in nostra
verò non item. Confer. Cynus, Salycetus, Azo, Corne-
jus, Brunnemannus, aliiq; ad hanc legem

§. 13. Cæterum in praxi ex hac parte observanda
sunt sequentia:

1. Contra juramentum admitti nonnunquam pro-
bationem in contrarium.
2. Meliùs ætatem probari instrumentis quam te-
stibus.
3. Contra propriam confessionem requiri proba-
tionem per instrumenta.
4. In factis longinquo & antiquo plus credi instru-
mentis, quam testibus.
5. Corporale sive solenne juramentum majoris ef-
fectu momenti, quàm simplex sacramentum,

CAP

Continens nonnullas quæstiones, ad ulterio-
rem præcedentis capituli illustrationem
facientes.

§. I.

Superiori capite, ubi de juramento simplici actum, at-
que contra illud probationem in contrarium, modo
ea per instrumenta fiat, admitti adsertum est, recepimus,
nonnulla nos inferius pro conciliatione Authenticæ: Sa-
cramenta puberum, quæ probationem contra juramen-
tum respuit, cum nostra Lege tertia, esse allaturos. Hic
loci itaque liceat nobis disquirere, quid ad Auth. Sacra-
menta puberum, ab hac nostra Lege discordantem sit re-
spondendum? Hoc ut commodius fiat, præmittimus di-
ctæ Auth: verba: *Sacramenta puberum sponte facta
super contractibus rerum suarum non retractandis
inviolabiliter custodiantur, per vim autem vel per
justum metum extorta etiam à majoribus nullius
esse momenti jubemus.*

§. 2. Ex inspectione hujus authenticæ oppidò li-
quet, eam cum nostra Lege in eo quidem concordare,
quod utraque de eodem loquatur subjecto, minore scili-
cet juramentum præstante; discrepare verò ratione obje-
cti sive materiæ, super qua juramentum à minoribus est
prolatum; Siquidem *l. 3. C. si min se maj.* de probatione
vel adseritione ætatis per juramentum facta disponit; au-
thentica vero præmissa de contractus confirmatione &
jurata renuntiatione beneficii minorennitatis; quemad-
modum autem adseritio majorennitatis à confirmatione
contractus diversa, ita à diversis mala fit illatio, nec quod
simplici

simpliciter in authentica adstruitur, ad legem nostram, clarissimè inter juramenta distinguentem & certo in casu probationem per instrumenta in contrarium admittentem, est trahendum.

§. 3. Sed regerat fortè aliquis, nullam esse differentiam inter assertionem majorennitatis juratam & renunciationem beneficii restitutionis in integrum, siquidem, qui majorem se dicit; hoc ipso contractum suum juxta privilegia minorum non esse dijudicandum, innuit & tacitè quasi prædicto beneficio renunciat; Verum dispar est ratio; præterea enim, quod renunciations stricti sint juris, adeoque non præsumendæ sciendum est hunc nostrum minorem, qui majorem se mediante juramento profiteretur errare atque ignorare ætatem suam, qui sine dubio si scivisset hoc juramentum non præstitisset, quod secus est in eo, qui juxta auth. Sacramenta publ. spontaneo motu, minorennitatis suæ non ignorans jurat, se non venturum contra contractum, & certioratus beneficiis renunciat, quo casu renunciationi isti nec posse, nec debere minorem contravenire certum est. Vid. I Crissimum Ketlerum nostrum, *Dec. Ost. 2. n. 15. & 16.* in eo enim facit jurisjurandi religio, ut excludatur, à restitutione, quod ejus observandæ causæ potior sit visa, quam ejus, qui læsus captusque est, restituendi. Estq; hoc consonum juri Can. quod omnia juramenta vult servari, quæ non vergunt in detrimentum salutis ipsius jurantis aut tertii dispendium c. 6. 28. X. de jure jur. cap. quamvis de pact. in 6. Atq; hujus authenticæ decisionem, omnium æquitati consentaneam approbant non tantum communiter Doctores, sed quævis etiam statuta Municipalia, cum quibus concordat Jus Nostrum Ostfrificum, cujus verba, quoniam apprimè huc faciunt, referre non piger, ita autem illa se habent; *Want dee Kinder / dee Weddes*
D **fens**

Penſ 12. Jahren / unde dee Knechtens 14. Jahren olt ſine /
 un hebben een Kopenschub edder ander Dinct verhandelt /
 unde mit ohren Ede befestiget / so moten ſee dat sulve holden
 um des Edes willen / wowol ſee eck darinnen bedrogen ſind;
 ut est in nova Constitutione Friderici C. si adv. vendit.
 Oſtfrieſ. Landrecht / lib. 2. artic. mihi 284.

Quæritur ulterius, quid obtineat, si minor in contra-
 ctu vel prohibito vel ob omiſſam ſolennitatem nullo, ta-
 ctis SS. Evangelii juret ſe majorem & ad hoc breviter re-
 ſpondemus, licet de regula Sacramentum corporaliter
 præſtitum minori adeo obſtet, ut nulla ejus admittatur
 probatio in contrarium, fallere tamen illud, si contractus
 vel ob turpitudinem vel ob ſolennitates omiſſas ſit nullus,
 tum, quod minor de ætate jurans cæteris exceptionibus
 renunciâſſe non videatur, tum per l. 5. C. de LL. vid. Ca-
 ſtrenſ. in noſtram Legem, n. 3. adde Excellentiffimum
 Jctum Noſtrum Dn. Ketlerum Decis: Oſtr. 2. n. 57.

Plura quæ ad ſaluberrimæ hujus Constitutionis
 commentationem adduci poſſent, pro ratione temporis,
 præter ire coactus, hiſce prolatis finio, & pro Divina Aſſi-
 ſtencia Immortali Deo gratias ago immortales.

C O R O L L A R I A.

1.

PLuribus debiti chirographis apud Credito-
 rem exiſtentibus, unius redditione non cen-
 ſetur liberatus debitor.

2.

Legitima computanda eſt, deducto prius
 ære

ære alieno, quia non bonorum, sed hæreditatis, portio est. Illustris Procancellarius Dn. Strauchius Præceptor & Meccœnas Noster submissè venerandus, Exerc. 9. aph. 37.

3.

Dominus fundi emphyteutici, acceptione canonis videtur renunciasse caducitati Dn. Struv: Syntag. l. 5. Civ. Exerc. II. th. 73.

4.

Testamentum juxta statuta & mores loci cujusdam factum, valet etiam in loco ubi plures solennitates requiruntur.

5.

Rectè dicuntur Reservata Imperatoris, in quorum communionem Electores cæterique Imperii status non sunt admissi, proindeque accurata est definitio Magnifici Domini Stamleri in egregio tractatu de Reservatis §. 3. Reservata esse jura Majestatis, quæ Imperator Romano Germanicus, liberæ suæ dispositioni, absque Ordinum vel Electorum necessario consensu exercenda
reservavit.

D 2

Ce



CE cropiæ insomnem iuvat impallescere
 Olivæ
HOYERUM, atque aras igne a-
 dolere Dices.

Invigilent alii furtivis noctibus, & plus
 Laestaurus decies, Hectoris instar, aret,
 Te probitas, te casta Themis, te sancta coronat,
 Ultima quæ terras relinquere visa Dea est.
 Torpor, abito foras. Doctrina triū fat, honestæ
 Sedulitatis opus. Torpor abito foras

*Ita applaudit Dn. HOYERO hætenus Au-
 ditori suo doctissimo, jam jam futuro,
 quod benè vortat! Iuris Licentiato*

Joh. Strauchius D.



Quod Themidos delubra colas, Hoyere:
 subinde
 Dulce Tibi fuerit discere Jura fori,

Id

Id satis evincit tua Dissertatio præsens,
 Quâ quæ promeritus præmia digna
 capis.

Hæc tua Frisiacas subito spargetur in oras
 Fama, ac ingenii dona decora tui.
 Te fore præsidium Patriæ præsumo, precorquæ
 Antistes Juris justitiæque fies.

Anton-Henricus Mollenbecius. D.



UT nec læsa dolo mendacis causa Minoris
 Redintegretur, Eruditè differis
 Ennomies, HOYERE, Decus; Sic callida
 Fraudis

Commenta Juris Ars & æqui reprobat!
 Præmia decernit TIBI Jure hinc alma
 Themistis,

Doctorque sis, mox ritè dat *Licentiam*.
 Gratulor his cœptis! Instanti gratòr Honori!
 Et prosperè succedat omne, comprecor!

*Ita applaudit Dn. HOYERO Iur. Can-
 didato dignissimo*

Fridericus Nitschius, D.
 & Pand. Prof.

D 3

Was

Als der gelehrte Fleiß bey uns
berdrossner Jugend /
Der Künsten Wissenschaften bey
guten Sitten kan;

Das zeigt Hr. Hoyer heut: Er band
an wahre Tugend

Sein Sinnen-Schiff bissher /
als einen Ancker / an.

Nun lend Er an den Port / der im-
merfort bestehet /

Und der durch keinen Fall des Un-
glücks untergeheth.

Wohlmeynend hinzugefügt

von

Nic. Thilen / Prof.
Inst. Publ.

Kling-Gedicht.

Sleich wie der Sonnen Glanz durch alle
Wolcken dringet /
so kan die Tugend auch nicht lang verbore-
gen seyn;
Sie zeigt bey früher Zeit den angenehmen
Schein /

Der

Der Ihr ein grosses Lob bey allen Frommen bringet.
 Herr H D Y E R / dessen Fleiß die Themis selbst besinget/
 Stimmt mit der Sonnen- Glantz und Tugend us
 berein:
 dringt durch des Neidhardts Tück / und macht die
 Lüffte rein /
 Durch welche Sich sein Sinn bis nach den Sternen
 schwinget.
 Wohl Euch / geehrter Freund / Ihr trefft die rechte
 Bahn /
 Worauf man zu der Ehr / der Tugend kommen kan:
 Stürmt schon ein Wirbelwind / so muß Recht doch Recht
 bleiben.
 Fahrt fort / und achtet nicht der Bosheit arges Giffte /
 damit sie sich zuletzt am allermeisten triffe.
 Die Tugend steht / wann sich die Laster selbst auffreiben.

Zu Bezeugung seines wohlgefinnten Ge-
 müts hat dieses Glück wünschend beyfü-
 gen wollen

Laurent: Strauß / Med. D. PP.

S Er nach dem Glantz der höchsten Eh-
 ren strebet /
In Ihm den Ruhm des Vattersucht
 beleebet /
 Gibt solche Zeichen an das Tages-Licht /
 Wodurch man sich die Ewigkeit verpflichtet.
 Dieß

Dieß/ Berthel Freund/ hat selbstn auch
bewogen/

Daß Er sich stets der Tugend nachgezogen;
Es gibt diß Werk Uns satfam zuverstehn/
Wie Er zum Zweck des Fleisses wollē gehn.
Ost-Friessland wird ob Ihme sich erfreuen /
Den Ehren-Pfad mit tausend Glück bestreuen;
Mit unserm Wunsch stimmt dieses überein/
Die Wir / wie vor / noch unverändert seyn

Dessen

Verbundene Freunde und
Tischgesellschaften.

F I N I S.




WMA


ULB Halle

3

003 932 508







13405.

20.

15

1678, 4

DISPUTATIO INAUGU-
RALIS JURIDICA

QUA

Occasione l. 3. C. si min. se maj. dixer:

MINOREM
SE MAIOREM ADSE-
RENTEM ET JU-
RANTEM

SOLO DEO PRÆSIDE

Auctoritate & decreto

MAGNIFICI ICTORUM ORDIN:

In Celeberrima ACADEMIA GIESSENSI

PRO LICENTIA

Summos in utroque JURE HONORES & PRIVILE-

GIA DOCTORALIA legitimè

consequendi,


Publico Amplissimi SENATUS ACADEMICI examini

submittit

HENR: EBERHARD Hoyer

Frisius Orientalis, 37.

Ad d. Maji horis locoq. consuetis.



G I E S S E,

EX TYPOGR. ACAD. ORDIN. B. KARGERI.

37.

